



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitæte, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Iuris ordo in condemnandis malefactoribus, num. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

fererat fama) hunc ad mortem compellere? Rursus an poterit iustitiam per aliquot dies vitam illi prorogare? Id cum accidit, puer ego eram Caltanissetta in patria mea, & viros me ætate grandiores (nunc certè memini) afferentes audiui, licuisse principi, illius mortem urgere; eidem parcere vel supplicium differre, non licuisse. Rationem addebant, quia in tanta spectantium frequentia bonum publicum exposcebat, ut criminosis spes hæc non daretur procurandæ condonationis tam scelestæ arte blasphemiarum, quam facile alij æmulati velle ab hoc unico exemplo potuissent.

Iuris ordo in condemnandis malefactoribus.

7. Superfunt tres graves quæstiones. Prima, certum est, iudicem ordinarium debere iuris ordinem servare, ut inferius l. suo dicitur loco: quid de principe, seu iudice supremo? Respondeo. Hic, quia potest dispensare in legibus iuris ordinem præcipientibus, poterit in aliquibus casibus sine illis solemnitatibus (urgente certe causa, ne temere agat) condemnare. Solent tres casus afferri.

1. *infr. li. 9. c. 2. §. 1. m. Dicast. li. 2. tr. 1. d. 4. d. 5. q. 2. n. 109. afferens Less. Arag. Covar. alios.*

Primo, quando delictum est vere notoriū nam tunc non tenetur citare.

Secundo, quando grave imminet periculum Reip. si statim non fiat puni-
tio, ut si adsit timor rebellionis, vel gravis turbationis in civitate, licitè solemnitates illas omittet.

Tertiò. Quando apparet periculum fugæ ejus, qui de re gravi reus, est &c. Sed in his omnibus debet semper princeps esse certus, crimen probari posse. rursus debet summariū formare processum, aptumque defensorem constituere reo, etiam si absens sit: & tunc posset condemnare, imo & occultè laqueo vel veneno interficere, post recepta Sacramenta, præsertim Confessionis.

Iam vero estne in principe, nullum agnoscente superiorem, legitima potestas aliquem occidendi, vel sententiam de alterius morte ferendi, more belli (ut dicitur) sine ullo prorsus, ne summario quidem processu, sed statim & incontinenti? Negat de Lugo. Concedit, esse probabile in aliquo valde urgenti casu Lessius; dat enim, posse Regem sine judiciali strepitu occidere occulte adulterum, qui vim Regina inferret, solusque rex id sciret; quia sic regi expedit, ad regiam infamiam evitandam.

n. de Lugo p. 2. de just. d. 37. sec. 5. n. 52. o. Less. li. 2. c. 29. n. 96. cui favet Fag. præc. 8. dec. c. 20. num. 18. Dicastillus li. 1. de just. tr. 1. d. 4. d. 5. q. 2. conceditque Bossius apud Dianam p. 10. tr. 15. res. 34.

Innocens probatus nocens an possit condemnari?

8. Secunda quæstio. An possit unquam innocens morte damnari? Respondeo: in tribus id casibus quæri solet: & quidem duo parum habent difficultatis: multum habet tertius.

9. Nam primo, qui actu est innocens, sed prudenter timetur, si sup-
per vi-